

enim hoc per suam formam seu essentiam habent Animalia, ut sensibus suis objecta *cognoscant*, salutaria *appetant*, & hujus quoq; gratiâ *loco moveantur*, fit ut *triplex* sit facultas, *Cognoscens* nempe, *Appetens* & *Locomotiva*, quarum media in brutis nuncupatur *Sensitivus*, in ratione præditis *Intellectivus Appetitus*. Quia verò Appetitus vel *simpliciter* exercet suam operationem, vel *cum quadam luctâ*, hinc oriuntur varii Affectus, quibus hæc facultas movetur & spiritus cordis excitantur. Videlicet *ὀρεξις* seu *potentia concupiscens simpliciter apprehendit bonum* & *fugit noxium*; *ἐκλισις* seu *irascens propulsat noxium*, & *quicquid impedit aut obstat, quò minus bonum, quod appetit, consequatur*. Ad priorem referri solent Amor, Desiderium, Concupiscentia, Odium, Gaudium & Delectatio, Dolor & Tristitia; ad posteriorem verò Spes ac Desperatio, Timor, Audacia & Ira. Neq; non operæ precium est scire, quomodo & nascantur & sese invicem consequantur: Nempe primo loco est *Amor*, si objecta res bona sit, *Odium*, si mala: illum sequitur *Desiderium* seu *Concupiscentia*, hoc *Aversatio* & *Fuga*. Cum Desiderio porrò & Fugâ conjunctæ sunt tum *Spes*, cum nobis videamur posse consequi, quod desideramus, aut effugere, quod averfamur; tum *Desperatio*, quando contrario se res habet modo: ab istâ oritur *Audaciâ*, ab hac verò *Timor* sive *Metus*. Audaciam *Ira* excipit, si scilicet cum Spe & Odio concurrat: Agmen deniq; claudunt *Gaudium* sive *Delectatio*, & *Dolor* sive *Tristitia*.

Et hi quidem affectus expelli non possunt aut eradicari, uti quidem rigidissimi Stoicorum voluere, quem enim mihi dabis hominem, in quo fiet illa *ἡρεμία* seu *ἀπαθεία*; Sic enim desineret ipse esse animal, nec haberet appetitum aliquem sensitivum. Virtus verò moralis eosdem moderatur & regit, atq; ad mediocritatem legibus & rationi convenientem reducit, postquam limites præscriptos aut emigraverunt aut emigrare volunt, ut sic *Affectus* evadant *adminicula ad præclarissimas actiones*: & hæcenus iidem sub *Ethici* considerationem cadunt.

Hæc